

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Urkunden und Akten der Stadt Strassburg

Urkunden und Stadtrechte bis zum Jahr 1266

Wiegand, Wilhelm

Straßburg, 1879

1221

[urn:nbn:de:bsz:31-326693](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326693)

190. *Bischof Heinrich von Straßburg beurkundet eine zwischen dem Honauer Stift und dessen Vogt Wernher, seinem Marschall, geschlossene Sühne. 1221.*

: In nomine sancte et individue trinitatis acta anno domini : 1221. Heinrichus dei gratia Argentinensis episcopus omnibus hanc paginam inspecturis salutem in
 5 perpetuum. cum instigante generis humani inimico fomes discordie inter prepositum B[ertholdum] et confratres Honaugensis ecclesie ex una parte et W[ernherum] marschalcum nostrum ex altera ejusdem loci advocatum in tantum invaluisse, ut dicti prepositus et confratres tam sui presentia quam obsequio divino ipsam ecclesiam alio se transferentes desolatam diu reliquissent, mediantibus tandem bonis ac
 10 discretis viris pax et concordia sub forma subscripta inter ipsos intercessit : nam fide data in manus nostras prefatus marschalcus noster firmiter promisit, quod nec ipse per se nec per suos vel quempiam sibi attinentium eorundem prepositi seu confratrum personas molestare deinceps attemptabit vel in familia vel rebus ad ipsos spectantibus aliquod ammodo eis inferat gravamen. idem etiam Egel[olfus] et
 15 W[ernherus] de Mundingen fideles nostri, filii sororis sue, data similiter fide firma-verunt. addidit preterea, quod in omni libertate sive jure sive juris executione, quod hactenus obtinuit eadem Honaugensis ecclesia, nullum ipsis per se vel quempiam suorum prestabit impedimentum. ne vero levi qualibet occasione vel malitia aut temeritate sopita reviviscat discordia, de comuni tam sepe dictorum prepositi
 20 ac confratrum, nominati etiam marschalci nostri consensu ac petitione sic firmatum est : si de cetero ipse marschalcus seu quispiam suorum vel sibi attinentium sive suo nomine manum in personam cujuslibet fratrum miserit aut alias dampnum vel gravamen in familia vel rebus eorum ipsis irrogaverit, dicti prepositus et confratres ad jam dictum marschalcum recurrent satisfactionem super illato gravamine requi-
 25 rentes. quam si ipsis non exhibuerit, ad episcopum, qui pro tempore fuerit, Argentinensem deferent, ex parte cujus prelibatus marschalcus efficaciter commonebitur, ut de illatis satisfatias condigne. quod si minus adimplere curaverit marschalcus vel forte pro tempore episcopus in hoc facto remissius se habuerit^a vel sui haberi copia non poterit, pretaxati prepositus et confratres per se vel per aliquos de
 30 capitulo ad capitulum nostrum Argentinensem recurrent. nec fiet eis prejuditium, si qui fratres tunc absentes fuerint ; sed quos tunc presentes in ecclesia nostra habere poterunt, quantum ad hoc factum vicem totius gerent capituli, coram quibus de illatis proponant injuriis petentes, ut antedictum marschalcum de satisfactione fatienda diligenter exhortentur et inducant. quorum monitis et precibus si obedire
 35 neglexerit nec extunc a die conmonitionis a capitulo facte usque ad quatuor ebdomadas non satisfecerit, auctoritate nostra sive cujuscumque successorum nostrorum necnon capituli nostri licebit eis, ecclesiam suam cum tota capituli sui universitate in Argentinam transferre civitatem. preterea cum tempore discordie sepe dicti prepositus et canonici conquesti fuissent, a marschalco ac suis per plurima
 40 dampna, gravamina quoque necnon injurias eis fuisse illata, petatum fuit ab eis, ut huic actioni renuntiarent. quod quidem recusabant ; verumtamen in hoc consen-

a) B huerit.